



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Imago saeculi XVII. ad annum huius saeculi X. producta**

**Neuhusii Paderbornae, 1710**

Annus 1626.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29436**

sumptum ad Patriarchatum Æthiopiæ è  
*Soc. fest.*

*ANNUS 1626.*

**U**Rbanus Pontifex maximus litteris in Ja-  
poniam missis animat Christianos ad  
Martyrium. Eidem sponte renuntiat hoc  
anno Ducatum suum Franciscus Maria a  
Rovere Dux Urbini.

Exercitus Mansfeldii ad Pontem Theffa-  
viensem à Wallensteinio Duce Fridlandiæ  
ad interneccionem prope deletur, ipso mans-  
feldio cum aliquot equitum reliquiis ægrè  
fugâ dilapso.

Eandem aleam experiri coactus Christi-  
ernus Rex Daniæ in agro Brunswicensi ad  
Lütheram oppidum, ubi à Tillio Duce Cæ-  
sareo fusus prostratusque cum exercitu flo-  
rentissimo amisit suos Duces penè omnes,  
tormenta majora 22. signa militaria 80. &  
omnem apparatus bellicum. Gratulatus  
est tam insignem victoriam ex Urbe victori  
Tillio Urbanus Pontifex disertissimis litte-  
ris; quas refert Author Annalium Boico-  
rum part. 3.

Inclaruit hoc ipso anno Papenheimius  
Dux Cæsareus, cæsis, domitisque iteratis  
cladibus rebellibus Rusticis, quorum 70.  
millia

millia per Austriam cædibus, depopulationibus, & incendiis grassabantur.

Die 7 Februarii decedit pientissimè Guilielmus Albertus Dux Bavarix, ætatis 77. princeps omnia encomia meritus; quæ virtus dare potest. Religionis ejus opus eximium extat etiamnum Monachii, templum augustissimum, quod in honorem D. Michaëlis exstructum tradidit Soc. Jesu, exornavitque sumptu regio.

Mense Octobri secutus est in via mortalitatis Guilielmum Bavarū Joannes Schwardus Archiepiscopus, & Elector Moguntinus, ætatis 75. regiminis 23 vir sui ævi præstantissimus, in quo certavit eximia in Deū pietas, & religio cum publicæ salutis studio.

Vivere etiam & furere hoc anno desierunt Duo Germanix funera Halberstadius & Mansfeldius, patris optimi filius pessimus, vulgò Germanix Attila nuncupatus, cui grassando, desolandóq; vix cessit, nec morte multum dissimilis.

Mense Januario Bætis fluvius inundatione post hominum memoriam inauditâ Hispalim nocte intempestâ obruit.

In Gallia Cardinalis Richelius ad summum enititur, & apud Regem unus potest

C

omnia

omnia Principibus reliquis vel tacere compulsi, vel si reniterentur, aulâ exturbatis.

*ANNUS 1627.*

**U**Rbanus VIII. Pontifex maximus 10 Julii adscripsit martyrum catalogo tres è Soc. Jesu, Paulum Michi, Joannem Gotho, Jacobum Kisai, & aliquot Franciscanos pro fide Christiana à Japonibus occisos.

Majo ineunte Pragam defertur corpus S. Norberti Episcopi Magdeburgensis, & Præmonstratensium Fundatoris.

Die 30 Julii imago crucifixi in spelunca Manresanâ, ubi olim S. Ignatius de Lojola vitæ sanctioris tyrocinium posuit, sanguine manavit. *Ricciolus & Girardus.*

In Germania graves passim auditæ querelæ contra laxatam nimium militarem disciplinam in exercitu potissimum Fridlandico, ipsumque Ducem Fridlandum, cujus ferox & imperiosus genius Principibus Imperii erat intolerabilis; unde frequentes indicti conventus Imperiales Herbipoli, Colmari & Mülhusii de tollendis belli incommodis, & componenda re Palatina cum Cæsare; sed nullo vel exiguo planè fructu.

Multas iterum clades passus hoc anno Danus à Ducibus Cæsareis, & compulsus ad peten-